

X 2002 496

ORATIO SOLENNIS,  
In  
NUPTIAS

SERENISSIMI ATQUE CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CAROLI

WILHELMI,

Principis Anhaltini, Comitis Ascaniæ,  
Domini Servestæ, Bernburgi, Jeveræ &  
Kniphusii &c. &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI:

Cum

SERENISSIMA ATQUE CELSISSIMA PRINCIPE AC DOMINA,

DN. SOPHIA,

Ducissa Saxonæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium;

Thuringiæ item Landgravia; Misniæ & utriusq; Lusatia Mar-  
chionissa, Comitissa Ascaniæ, Marcæ, Ravensburgi & Barbyæ;  
Dominâ Servestæ, Bernburgi, Jeveræ, Kniphusii &  
Ravensteinii &c. &c.

DOMINA NOSTRA GRATIOSISSIMA ET CLEMENTISSIMA,

HALÆ SAXONUM,

AD D. XIV. CAL. JULII

ANNI M. DC. LXXVI.

CELEBRATAS,

Nomine totius Illustris Gymnasii  
publicè dicta,

ET

ANNO M DC LXXVIII.

AD D. VI. NON. JULII,

hoc est,

IPSO NATALI

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CAROLI FRIDERICI,  
Principis Anhaltini &c. &c. Secundo-geniti,

Typis submissa

à

JOHANNE FRIDERICO VVERCKMEISTERO,  
Oratoriæ PP.

SERVESTÆ, Prælo BEZELIANO.



*Silia Augusti  
Admistrat  
Magdeburg*







SERENISSIMO atq; CELSISSIMO PRINCIPI ac  
DOMINO,

DN. **C**AROLO

**W**ILHELMO,

Principi Anhaltino,

Comiti Ascaniæ, Domino Servestæ,  
Bernburgi, Jeveræ & Knip-  
hufii &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO;

*Ejusq;*

CONJUGI SUAVISSIMÆ,  
SERENISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINÆ,

DN. **S**OPHIÆ,

Ducissæ Saxoniam, Ju-

liæ, Cliviæ ac Montium; Thuringiæ item  
Landgraviæ, Misniæ & utriusque Lusatiæ Marchionissæ, Comitissæ  
Ascaniæ, Marcæ, Ravensburgi & Barbyæ; Domina Ser-  
vestæ, Bernburgi, Jeveræ, Kniphufii & Raven-  
steinii, &c;

DOMINÆ SUÆ GRATIOSISSIMÆ ET  
CLEMENTISSIMÆ

*Subjectionem humillimam & humilitatem  
obsequiosissimam.*





SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE,  
DOMINE CLEMENTISSIME!

SERENISSIMA PRINCEPS AC DOMINA,  
DOMINA CLEMENTISSIMA!



ingularis Dei Benignitas, qua  
pias apprecationes nostras, in Gymnasio  
Anhaltino ante biennium submissè fa-  
ctas, gratiosè impleri videmus, *mibi sub-*  
*dito ac civi humillimo*, in præsens animum  
addit, ut SERENITATIBUS VESTRIS Gratulatoriam o-  
rationem, in Serenissimas nuptias vestras publicè habitam,  
humillimâ reverentiâ exhibere audeam. Etenim non in-  
conveniens fore existimo, dum Gratosum Numen preci-  
bus nostris publicis, PRO SERENISSIMÆ HUIUS DOMUS INCREMENTO  
AC PROSPERITATE, clementer annuit, si eas quoque VESTRIS SE-  
RENITATIBUS in perpetuam obsequiosæ benevolentiaë tesse-  
ram, legendas humillimè offero. Jam tum eo tempore, cum  
in publico Auditorio fierent, ingenti cum voluptate intel-  
lexi, VESTRAS SERENITATES pia vota ac preces obse-  
quiosorum Civium non parvi facere, quando ab Illustri  
Legato suo, GENEROSO DOMINO DE MARVVITZ,  
Aulæ-Mareschallo & Consiliario Suo intimo &c: Aliisq;  
Ministris in Magnâ dignitate constitutis, actum illum So-  
lennem voluerunt illustrari, piâsq; gratulationes, quâs *no-*



*mine Totius Gymnasii* instituebam, benevolis Generosorum  
Virorum auribus excipi: pro quâ Clementissimâ benevo-  
lencia gratias immortales VESTRIS SERENITATIBUS debeo.  
Unde & nunc spes mihi humillima est, eâque Certissima,  
nec injucundum VESTRIS SERENITATIBUS esse futurum,  
EA VOTA legere, de quorum gratiosâ impletione & SERENISSI-  
MI CONSANGUINEI ET OMNES SUBDITI piè gratulantur. Gratulan-  
tur enim, si non verbis, animo certè & affectu SERENISSIMO PA-  
TRIAE PATRI, quòd SERENISSIMA PATRIAE MATER, Domina mea Cle-  
mentissima, cœpit esse instar Generosissimæ vitis; quando  
DUOS ILLUSTRÉS ostendit PALMITES, sub Quorum gratiosâ um-  
bra olim latitare Ecclesia, latitare sperat Respublica Patriæ,  
duliq; tranquillitate ac prosperitate frui: Precantur insu-  
per Numen Cœleste animo candido, ut SERENISSIMUS PRIN-  
CEPS CUM PRINCIPE SERENISSIMA; ET UTRIUSQUE PRINCIPALIS SOBOLES  
diuturna constantiq; felicitate gaudeant; ut etiam reliqua  
benedictionum genera, quæ in Nuptiali oratione piè enu-  
merantur, factæ huic beneficentiæ Deus clementer adjun-  
gat, ne unquam deficiat occasio ingenuis subditis lætandi  
cum Serenissima domo vestra, sibiq; congratulandi de feli-  
citate PATRIS PATRIÆ. Quamobrem, qua possum, qua de-  
beo, humilitate rogo, ut VESTRÆ SERENITATES hunc primum  
meum in causa tam ardua conatum, quòd *pia vota Totius Il-*  
*lustris Gymnasii* submissè ausus sum, qua tamen potui bre-  
vitate, explicare; & quem in præsens ad SERENITATUM VESTRARUM  
pedes obsequiosè demitto, gratioso aspectu dignentur, Se-  
renissimoque suo stemmati pignus esse sinant pii erga Pa-  
triae



trix Principem subditi. Quod reliquum est, Deum, qui  
Reges ac Principes in Solio constituit, supplex invoco, ut  
VESTRÆ SERENITATI, SERENISSIME PRINCEPS, felix ac diuturnum  
Regimen, SERENISSIMÆ CONJUGI VESTRÆ AC SOBOLI SERENISSIMÆ pro-  
speram valetudinem & animi & corporis largiatur annos Nesto-  
reos, quò UNIVERSA SERENISSIMA DOMUS VESTRA, Constanter, dum  
Cœlum & terra durant, vigeat floreatque. Id quod ex animo, dum  
vivit, precatur.

**SERENITATUM VESTRARUM**

*Civis ac subditus obsequio-  
sissimus*

JOHANNES FRIDERICUS  
VVERCKMEISTER, in Ill:  
Gymn: Anh: orat: PP.

)o( 3

RE-





# Rector & Professores

Publici Illustris Gymnasii Anhaltini, Lecturis omnibus & singulis Salutem & vitam piè Prosperam!



Non nostritantum Seculi, sed ab ultima ætatis memoriâ repetitum institutum est, ad bonorum Principum cœpta, præsertim matrimonialia, densâ gratantium phalange concurrere, & calido reverentiæ affectu talia cumulare solennia, quæ Vota redolent pro incolumitate Serenissimorum Neogamorum. Eo præsertim tempore acclamationes votivæ intimis pectorum sensibus conceptæ majus habere videntur pondus, cum, qui gratulandi applausus antea sparsim quasi auditi fuerunt, illi condensato fermè strepitu aures feriunt omnium, statâ communis gaudii die, vel auspiciatissimi ad Nuptias exitus, vel ipsarummet tædarum conjugialium, vel pomposi cum prolixo splendidoque comitatu reditus, introductionisque in Domum Illustrissimam, quæ Serenissimæ obtingit Maritæ noviter in novam, eamque celebratissimam felicibus auspiciis adscitæ Familiam. Scilicet: Conjugium est, quo nullum honestius censoriæ mentis levamen est, si fortunatum illud; nullum verò onerosius gravamen, si minus secundum, sic illud sanè subditorum indigere acclamationibus, quibus à Supremâ Majestate perpetua quasi evocetur Tori felicitas, & per illam diuturna Imperii tranquillitas, prosperrimumque subjectæ gentis incrementum, in aprico est positum. Antonium certè Philosophum optimis Imperatoribus annumerari potuisse, non obscure produnt Conditores Annalium, nisi malus quidam genius ipsum FAUSTINÆ implicuisset nuptiis. Et ACHAB Rex Israëlitarum non pessimus erat futurus, si absque JESABELE, uxore perditissimâ, omnium flagitiorum documento, omnem ad impietatem & tyrannidem suum detorquebat maritum, fuisset. Ita è contrario Constantinus Imperator magnam quoque partem per Conjugem EUDOCIAM optimis annumeratus fuit Dynastis, nec minùs LEO IV. per Uxorem IRENNEN, ac THEOPHILUS per tori sui sociam THEODORAM. Cùm igitur & SERENISSIMUS CELSISSIMUSq; Princeps ac Dominus, Dominus CAROLVS VVILHELMVS, Princeps Anhaltinorum, Comes Ascania, Dominus Servestæ & Bernburgi, Jeveræ & Kniephausen/ &c. &c. Dominus



*minus* noster *Clementissimus*, postquam *paucos* ante annos, (non sine desideratissimis populi acclamationibus, quæ *figendi* tempus non habent, nec absque exoptatissimis Civium congratulationibus è liquido pectoris sinu redundantibus) onerosam suam *purpuram* induit, haud ita pridem animum suum sincero applicuerit amori, quem, disponente ita divino Numine, consecravit *Serenissima Celsissimaq; Principi ac Domina, Domina SOPHIÆ*, jam *Principi Anhaltinae, natae Ducissae Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, Landgraviae Thuringiae, Marchionissae Misniae & utriusq; Lusatiæ, Comitissae Ascaniae, Marcae, Ravensbergi & Barbye, Dominae Servestæ, Bernburgi, Jeveræ, Kniphusii & Ravensteinii &c.* Domina nostra *gratiosissima & Clementissima*, meritissimo jure ingeminamus omnes & singuli gratantem hanc vocem: *Bonis Avibus! Bonis Avibus! Bonis Avibus!* *Faustis caeptis* fausta est imposita *Coronis*. Solennia Vota pro *Serenissimo Conjugum Pari*, ejusq; incolumitate, qua *publica salus* continetur, *suscepta* jam fuerunt pariter & *soluta* à multis & *extra & intra* inclutæ hujus & perantiquæ *SERVESTÆ* constitutis mœnia. DEUS *Imperiorum* author & *Conjugiorum* velit ea semper *solvi*, semper *signari!* Nondum tamen in *confluxu literariae Cohortis* & suos edidit sonos *illustre* hoc Anhaltinatus *Palladium*, irremunerabilibus quanquam oppignorum beneficiis. Nimirum: Latitia, quod non diffitendum, facundiæ obstrepit, & cogitatio impeditur gaudio, ac mens occupata delectatione mavult gaudere, quàm sonoras voces testari. Quæ tamen hætenus subticuit *Cathedra* nostra superior, jam demum gestit exponere. Voti ardentissimi meta est: *Vive feliciter, Serenissimum Par Conjugum! Benè age! Te nostra designant suspiria, Vive & Conjugium tuum publica rei cum gaudio & gratulatione omnium transige.* Quò DEUS, quò virtus tua, quò populi expectatio & favor bonorum omnium te vocat, *fausto pede ambulala!* *Incrementa cape, quæ nulla unquam hostilis Vis, nulla infortunii, nulla insidiarum labefactet calamitas!* *Vive, Domine noster Clementissime, in seram usq; ætatem dives benedictione divini Numinis!* *Vive, Domina nostra Clementissima, Princeps SOPHIA, Gratiosissimi AUGUSTI, ex ANNA MARIA, Ducissa Megapolitana, Filia, Constantissimi JOHANNIS GEORGII. I. Electoris Saxoniae, ex MAGDALENA SIBYLLA, Ducissa Brandenburgensi, Neptis: Sapientissimi CHRISTIANI, ex SOPHIA BRANDENBURGICA, Proneptis: Prudentissimi AUGUSTI, ex ANNA, Regis Daniae CHRISTIANI III. Filia, Abneptis: Pientissimi HENRICI, ex CATHARINA, Ducissa MECKLENBURGICA, Atneptis: Animosisissimi ac verè magni ALBERTI, Illustrissimæ & Antiquissimæ Lineæ Saxonicae Fundatoris, ex ZEDENA, GEORGII PODIBRATZKII, Bobemiae Regis Filia, Trineptis!* *Vive, animi tui venustate plusquam splendida!* Fortunet VOBIS Divina Prudentia *Matrimonium!* Arrideat favor cœlestis VOBIS VESTRÆq; DOMUI UNIVERSÆ!

*Candida Perpetuò sedeat Concordia lecto,*

*Tamq; pari semper sit Venus æqua jugo.*

*Martialis.*

*Diligat ipsa senem quondam; sed & illa Marito*

*Tunc quoq; cum fuerit, non videatur Anus.*



Phra ex hac *Tabula* non promulgamus. Subjectissimi gaudii fui & certantium Votorum Respublica hæc literaria delegit *Interpretem*: Hic ORATIONE SOLENNI, ad proximum diem *Mercurij*, qui erit XIV. CAL. AUG. circa horam *seminonam*, nobiscum poscet DEUM, ut densus omnium felicitatum depluat imber in *Territorialem* nostrum *Principem*, cui, ut & Serenissimis *Conjugi*, *Matri*, *Fratribus*, *Sorori* unicæ, pectoribus conjunctissimis, *tali Jovis* semper cadant feliciter! Adeste, quæsumus, Actui huic *publico*, quotquot amore ducimini haud fucato erga nostrum *Patrem Patriæ*, CAROLUM WILHELMUM, PRINCIPEM ANHALTINUM. P.P. d. XVII. Julii, *Anni Messiani* M DC LXXVI.

LUDERUS *Rannengieser*,  
Ill: Gymn: Anh: Rector & Theol:  
ac Philos: PP.



III



ILLUSTRIS SERENISSIMORUM PRINCIPUM Do-  
MINE LEGATE! Vos item VIRI Generosi, Magnifici, pluri-  
mum Reverendi, Excellentissimi, Experientissimi, admodum  
Reverendi, Clarissimi, Doctissimi, Humanissimi, DN. Audi-  
tores omnium Ordinum Spectatissimi &c. Tu deniq;  
Studioforum nostrorum Corona, ornatis-  
sima, dilectissima.



Nvitat communis omnium  
lætitia, ut Serenissimo Patriæ Principi,  
ac Domino nostro Clementissimo, feli-  
ces nuptias, his diebus celebratas, sub-  
missè gratulari audeam, nomine totius Il-  
lustris Gymnasii, eâ Oratione, quam nemini molestam, ne-  
mini ingratham fore, spero: quia omnes, quos illustris hæc  
ditio nunc habet & amicos & subditos, vota fieri cupiunt,  
ut HÆC SERENISSIMARUM DOMUUM, SAXONICÆ ET ANHALTINÆ, CONJUNCTIO  
fortunata sit, SERENISSIMOQUE STEMMATI ANHALTINO ac subditis  
omnibus Salutaris. Nam si oculos nostros per hoc Illu-  
stre Auditorium, quod nos concludit, & per DN. Audito-  
res omnium ordinum spectatissimos, quos parietes hi cin-  
gunt, attentius circumferre lubet, advertimus non aliò  
fine accessisse tam frequentes, nisi ut præsentia suâ publicè  
declarent, etiam placere sibi, quas SERENISSIMO PATRIÆ PRINCIPI  
devotas nuptiarum gratulationes jam instituimus.  
Nemo proinde est, qui remoretur officium, ad quod infini-  
ta vora ac preces, quas novo Serenissimorum Principum  
pari nupera septimana factas observavimus, accendant,  
A exti-



extimulant, hortantur: Quo enim die SUAVISSIMAM NUPTAM huc in aulam Anhaltinam introducebat SERENISSIMUS PATRIÆ PRINCEPS, subditos ad unum omnes lætari, gestire & congratulari vidimus; Vidimus obviam prodire concives nostros vultu saltim & gestu, cum verbis non esset locus, SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO SUO ET SERENISSIMÆ ILLIUS CONJUGI gratulantes; Vidimus in præaltis turribus stare, qui primi vel nutu vel tubâ gestiebant nunciare desideratissimum ad ventum SERENISSIMI CUM SERENISSIMA; Vidimus incolas omnes ad illustrem usque sedem per plateas dispositos humiliter reverentiâ NOVAM PATRIÆ MATREM excipere; Vidimus tandem huc confluere ex pagis, ex urbibus, ex domibus innumeros diversæ ætatis & conditionis homines publiceque gaudere; Non ætas quæquam domi retinere, non sexus aut corporis imbecillitas poterat; Accurrebant Juvenes cum pueris, fæminæ cum Viris, omnes trahebant desiderium videndi NOVAM PRINCEPEM: Senes & decrepiti, cum pedes vix sustinerent, baculis fulti in publicum proreptabant; Quos valetudo infirmior ambulare ante non siverat; Hos amor SERENISSIMÆ NUPTÆ extrahebat domo, membraque nutantia confirmabat; Qui in remotioribus plateis ac vicis habitabant, honoratiores Viri Matronæque ac Virgines honestiores, ad plateas, per quas ducenda erat nova Princeps, læti properabant, ut publicè constaret, eos non minus lætari Serenissimis hisce Nuptiis quam cæteros. Ipsa dies, quem vultum paullo ante minus Serenum gesserat, cum videret Civem ad publicam lætitiâ convocari tympano, mutato veluti consilio, caperatam quasi frontem sensim explicare cœpit, publicæque lætitiæ arridere, ne sola aut officio deesset, aut novæ Patriæ Matri non gratularetur adventum. Ita prona ubique voluntate & benevolâ gratulatione excipi visa est NOVA SERENISSIMA PRINCEPS; ita gratulatum undique Nuptiis, quibus Serenissimus atque Celsissimus Prin-

Prin-



Princeps ac Dominus, Dominus CAROLUS VVIL-  
HELMUS, Dei gratia PRINCEPS ANHALTINUS, COMES  
ASCANIÆ, DOMINUS SERVESTÆ, BERNBURGI, JEVERÆ & KNIP-  
HUSII, Dominus noster Clementissimus; sacro conjugii  
fœdere sibi conjunxit Serenissimam Principem ac Domi-  
nam, Dominam SOPHIAM, DUCISSAM SAXONIÆ, JU-  
LIÆ, CLIVIÆ, ac MONTIUM; THURINGIÆ item LANDGRAVI-  
AM; MISNIÆ & utriusque LUSATIÆ MARCHIONISSAM, COMI-  
TISSAM ASCANIÆ, MARCÆ, RAVENSBURGI & BARBYÆ; DO-  
MINAM SERVESTÆ, BERNBURGI, JEVERÆ, KNIPHUSII & RAVEN-  
STEINII; DOMINAM NOSTRAM GRATIOSISSIMAM & CLEMEN-  
TISSIMAM. In hâc igitur omnium lætitiâ totq; inter gra-  
tulationes ac vota, cum attentiores oculos circumferret *or-  
do noster, cui docendi munus in hâc Illustri Athenæo demanda-  
tum est*, noluit acquiescere vulgari omnium gratulandi  
modo: Satius existimavit, quas pias preces ac vota conce-  
pisset animo, etiam publica oratione testari. Est sermo  
interiorum conceptuum nuncijs & index: Sine hoc nun-  
cio haud constat alijs, quæ animo nostro volvimus: Ut er-  
go innotescant quoq; *Serenissimo Patriæ Patri* devotæ no-  
stræ apprecationes, mavult hic ordo noster consensu una-  
nimi eas modeste explicare, quam pie cogitata cum de-  
decore celare; Mavult vota sua omnia ad unum os velut  
confluere, ut inde ad aures Serenissimas & omnium dima-  
nent, quam solis cogitationum limitibus concludere. Vti-  
nam verò mihi nunc esset facundia Tullii, Demosthenis  
suavitas, Stagyritæ acumen, ut prudentissimis Rhetorum  
monitis, ut exspectationi omnium de me optimæ, dum



provinciam tam arduam sustinere aggredior, possem satisfacere!  
Probe scio, vetare Rhetores magis circumspectos, ne ad laudes Vi-  
rorum Principum abeat Orator, nisi grandi caractere, phalerato  
sermone, vocibusque purpureis instructus: Unde splendidius aut  
magnificentius verba nunquam fecit Plinius junior, quam eo tem-  
pore, cum laudes Potentissimi Imperatoris TRAJANI explicaret;  
Nec fortè cultius unquam dixit aut circumspectius Antonius Mure-  
tus, quam illis Orationibus, quas pro FRANCISCO II. & CAROLO IX.  
Gallarum Regibus habuit ad Pontificem: Quâ in re quoniam mi-  
hi nondum licet summos illos Viros imitari, vehementer quidem  
timeo, ne Oratione mea, quæ sine purpurâ, sine phaleris, sola chara-  
cteris forma simplici vestita in medium prodire audeat, celebritas &  
splendor nuptiarum illustrium minuatur potius, quam augeatur;  
Existimo tamen, propterea haud licere mihi temerè ab officio,  
quod SERENISSIMO PATRIÆ PRINCIPI debeo, deficere: Tutius esse  
arbitror, facundiæ atque ingenii discrimen incurrere, quam obse-  
quii ac benevolentiaë debitæ: Quam gratiam mereri nescit Ora-  
tio nostra, suo ipsius nitore, hac vice mutuabit à dignitate persona-  
rum illustrium, ad quas spectat. Qui Regum Principumq; vultus  
in æra inducunt, quem ab arte nequeunt, ab insculpta imperantium  
imaginae favorem impetrant: Dum igitur OPTIMUS PRINCEPS, dum SE-  
RENISSIMA SAXONIÆ DUCISSA, dum SERENISSIMUS PATRIÆ PATER & SE-  
RENISSIMA PATRIÆ MATER utramq; paginam faciunt, veniam merebi-  
tur demissa & infra Serenissimæ Dignitatis apicem subsidens Ora-  
tio. Magis jam spectabitur animus, quam verba: cum nimia soli-  
citus etiam Clarissimis Oratoribus non rarò facundiam eripiat.  
Etiam placuit Magno illi Persarum Monarchæ, quum malum puni-  
cum ex benevolo erga Regem suum animo offerret egenus subdi-  
tus. Mos namque esse solet magnis Principibus, in hoc imitari  
sum-



summum Deum, ut magis aspiciant, quo animo offeratur, quàm quid offerant subditi: Licet ergo Magnitudini tuæ, SERENISSIME PATRIÆ PRINCEPS, orationis magnitudine respondere diffidam, malo tamen videri non eloquens, quam non benevolus subditus; malo amorem testari oratione minus diferta, quam non lætari cum Principe. Læto igitur animo & sine trepidatione dicam, ad quæ Serenissimarum Domium felix conjunctio, hujus temporis festivitas, & lætitia omnium provocat, ne Oratio dissentiat ab oratore. A vobis autem, ILLUSTRIS DOMINE LEGATE, GENEROSI ITEM CÆTERIQUE DOMINI AUDITORES, OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI, eâ, quâ par est, aut submissione aut modestiâ magnoperè contendendo, si velex amore erga SERENISSIMOS CONJUGES vel debita EIS observantia per horulæ dimidium aures benevolas mihi commodari desidero, ut ne grave sit obnixè petenti gratificari. Qui modum præscribunt gratulandi nuptias, jubent initium fieri à laude connubiorum. Credunt enim præmittenda esse, unde postmodum vota ac preces vel sua sponte fluunt, Nuptiarum præstantiam & bona innumera, quæ ab honesto matrimonio in universum genus hominû derivantur: non improbo consilium, sed ut ne sequar in præsens, modesta vetat circumspectio: Novi accuratiores esse Virorum Illustrium aures: fastidiunt facilè aut eadem aut prolixiora: nova audire gestiunt & pauca: Nihil tam molestum eis, quam sæpius idem: quia sicut aliàs, ita quoque indicendo satietatis mater esse solet similitudo & prolixitas, diversitas & brevitatis attentio- nis. Quanquam igitur me non fugit, honesti matrimonii  
B digni



dignitatem ac felicitatem, quam Dei Spiritus S. tanta cum  
verborum amplificatione in sacris proponit, solatio esse ef-  
ficacissimo piis conjugibus in adversis; Admirabili volu-  
ptati in secundis: Veniam tamen merebor, si ista hac vice  
non repeto, quæ his Nuptiarum temporibus Eruditissimi  
Sacri Præcones rot concionibus, tamq; prolaxis verborum  
ampullis è suggestu denunciarunt. Magnam, scio, digni-  
tatem matrimonio conciliat, ipsum Dei Filium cum Patre  
ac Flamine Sancto conjugium primum instituisse; Ma-  
gnam dignitatem conciliat, eandem Dei prolem, Domi-  
num & Servatorem nostrum cum matre piissimisq; Disci-  
pulis interfuisse Nuptiis Chananæis; atque cum favorem  
erga honesta connubia declarare satageret, miraculo tam  
splendido eas ipsas nuptias condecorasse; Magnam deniq;  
dignitatem conciliat, hunc Redemptorem mundi ex homi-  
num genere Sponsam sibi eligere, destinare, copulare, ut  
propterea Conjugium dicatur mysterium, exprimens  
Christum & nuptam ejus Ecclesiam: Hæc, *inquam*, & plura  
alia, unde in immensum excresceret Oratio, & quæ eximi-  
am dignitatem honesti matrimonii abundè loquuntur, in  
præsens non adduco, sed modesto potius silentio involvo  
omnia, ne parum circumspectus repetere videar apud VI-  
ROS ILLUSTRÉS, quæ hætenus è suggestis audivêre non  
semel. Pace igitur vestrà, omitto varia benedictionum spe-  
cimina, quæ cœleste promissum multis locis Conjugibus  
honestis offert, copiosa dictione amplificat, verborum lu-  
xurie exaggerat; Superfedeo, quibus non pauci connubi-  
orum



orum excellentissimos usus dilatare consueverunt. Enumerent alii varias animantium species, quæ in mari, quæ in terrâ, quæ in aëre reperiuntur; Ostendant apud eas connubia observari; Monstrent nuptias solas facere, ut Creaturæ viventes à prima origine adhuc perdurent, ut Republicæ vigeant, ut ne pereat Ecclesia: Non contradico eis, assentior, palamq; profiteor, connubia honesta & Deo placere & summè esse utilia! Mihi verò haud integrum est, aures vestras, ILLUSTRIS DOMINE LEGATE, GENEROSE ITEM ATQUE OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI DOMINI AUDITORES, eorum seu commemoratione seu copiosa deductione hâc Oratione denuò perstrepere; Satius erit ad felicissimas nuptias tuas, SERENISSIME PRINCEPS, omnem mentis aciem jam convertere, ut splendidissimum hoc Auditorium & fideles Subditi omnes mecum aspiciant, quantum gratiæ debeamus benignissimo Deo, quod TIBI OPTIMO PRINCIPI OPTIMAM PRINCEPTEM, SERENISSIMO SERENISSIMAM, virtutibus Excelso maximis virtutibus condecoratam atque ad eò æquali Principi per omnia æqualem Maritam clementissimè adjunxit. Felix quidem connubium, quò SERENISSIMÆ DOMUS, SAXONICA ET ANHALTINA, quæ sanctissimis vinculis olim connexæ diu perstiterunt, denuò colligantur; At longè felicius, quod non gloriâ tantum Majorum; Sed Pietate etiam ac probitate per omnia pares. Major vix existit conjunctio animorum, quam inter conjuges pias; Nec arctius copulantur, quam per omnia æquales; Æquales gloria Majorum, æquales Virtutum splendore fecit TE ET SERENISSIMAM CONJUGEM TUAM cœli benignitas. Si enim de gloria Majorum consulimus annales, non cedit Principum Anhaltinorum profapia Saxonica, nec Saxonica Anhaltinæ: CONJUX enim TUA, Dei gratia, DUCISSA SAXONICÆ, Majorum gloria & Virtutum decoribus Illustrissima, post REVERENDISSIMUM ATQUE SERENISSIMUM PARENTEM suum FRIDERICOS, JOHANNES, MAURITIOS, AUGUSTOS, CHRISTIANOS, JOHANNES FRIDERICOS & JOHANNES GEORGIOS, omnes Saxonum Electores Potentissimos,



Serenissimo Stemmati suo innexos adspicit ; Adspicit &  
SERENITAS TUA post SERENISSIMUM AC BEATISSIMUM PARENTEM Serenif-  
simæ Stirpi suæ innexos OTTONES, ALBERTOS URSOS, BERN-  
HARDOS, RUDOLPHOS, SIGISMUNDOS, WENCESLAOS, JOHAN-  
NES, JOACHIMOS ERNESTOS, GEORGIOS, WOLDEMARIOS &  
innumeros alios Heroës Serenissimo sanguine Anhaltino  
cretos , ex quibus non pauci ad fastigium aut Electoratus  
Saxonici aut Marchionatus Brandenburgensis ascende-  
runt: Quod si post gloriam Majorum Virtutis quoq; de-  
cora conferimus, DE SERENISSIMA CONJUGE TUA communis fa-  
ma affirmat, omne Virtutis decus, quod quidem in sexum  
fœmineum cadit, in illa eminere ; DE SERENITATE TUA omnes  
Tui subditi. Tu enim, SERENISSIME PRINCEPS, quæ à tene-  
ra ætate optimi Principis manifesta indicia protulisti, ea-  
dem non simulata fuisse aut conficta , provida & circumspecta mo-  
deratione Reipublicæ ostendis. Ex quo solenni Homagio fidem no-  
stram & obsequium Tibi obstrinximus, non desistis ex fonte probi-  
tatis ac virtutis, quem gratia divina & seria cura Tibi acquisivisti, in  
Cives tuos ac subditos derivare justitiæ, æquitatis clementiæq; ri-  
vulos. Non satis esse videtur SERENITATI TUÆ, legibus docere Sub-  
ditos, quid fieri debeat, sed innocentia in super omnigenæque virtu-  
tis exemplo præluces Patriæ: ut rectè exercentur judicia publica,  
frequenter iis præsides ; ut in litibus majoris ponderis ea feratur sen-  
tentia, quam imperat æquitas, causas provida attentione ipse co-  
gnoscis: Si quando ad Te accedunt supplices egestate aliisq; cala-  
mitatibus pressi, non deterrere soles vultuoso aspectu, sed gravi hu-  
manitate libenter percipere desideria eorum ; Si fortè accedunt  
exteri, ut ex tuis subditis quem accusent, providè imitaris pruden-  
tissimum Macedonum Regem Philippum, alteramque aurem accu-  
sati



fati defensionis reservas. Vetat, SERENISSIME PRINCEPS, summa reverentia, quam Tuæ Serenitati debeo, ut ne ad reliqua Virtutum decora, quæ in Te omnes multa cum voluptate conspicamur, jam pergere audeam: Facit modestia, ut ex iis, quæ paucissima attuli, plura intelligi mælim, quam distinctè enumerare; cum facilè posset fieri, si in his prolixior esse cuperem, ut lingua mea parum diserta obfuscaret magis summas laudes tuas, quam illustraret. Verbo igitur ut me expediam: Nos omnes grato adversus Deum animo agnoscimus, SERENITATEM TUAM talem Principem, qui improbis terrori, bonis Viris præsidio, afflictis solatio, infirmis auxilio esse cupiat, & quem confidimus gratia divina talem futurum perpetuo: Quare insaniant invidi, ferrum inent catervas suas inimici, debacchentur calumniatores atque odio Cainino bonorum existimationem labefactare tentent, sub tuo tamen præsidio, SERENISSIME PRINCEPS, tuti & invicti perstabunt, qui innocentiam ac probitatem amant: Quia nihil magis optat Serenitas tua, quam ut salvi sint justis & boni Viri, puniantur improbi; ut justè cuique tribuatur, quod suum est. Atq; ita, SERENISSIME PRINCEPS, dum non sola gloria Majorum, sed Virtutibus etiam Principe dignissimis Te universis constanter probasti Principem optimū, meritò EAM quoq; Tibi elegisti CONJUGEM, quæ & generis celsitudine & morum probitate, cum TUA SERENITATE cōtēdit. Solent quidē omnes, qui ad pangendum connubii fœdus animum appellunt, sibi quærere, quæ alias sui sexus & corporis & animæ & fortunæ  
C doti-



dotibus antecellat; Sed vix inveniunt, nisi *alba gallina Filii.*  
TU, verô, SERENISSIME PRINCEPS, quæсивisti & inve-  
nisti NYMPHAM Te dignissimam, dignam Serenissimorum  
Majorum gloria, dignam excelsis Virtutibus tuis, dignam  
heroinâ profapiâ Saxonum, dignam tandem Serenissimis  
Stemmatibus & Ducum Holfatiæ & Comitum Oldenbur-  
gensium: Piè enim Tibi ac providè quæсивisti, & invenisti  
etiam feliciter, castitate *Lucretiam*: fide maritali *Sulpitiam*,  
constantia, in recto *Semproniam*. Nil ego hic Rhetorum  
more in majus extollo: Constans Virorum prudentium  
assertio me inducit, ut hæc omnia de Serenissimâ Coniuge  
tuâ affirmare audeam. Qui propius observarunt mores  
SERENISSIMÆ NUPTÆ TUÆ, uno ore læti affirmant, in rara ea for-  
mæ ac membrorum concinnitate, qua pollet, undique ra-  
diare cum probitate Pietatem, & pietatem cum probitate,  
hoc est, ut ego submissè interpretor, virtutes omnes IN SE-  
RENISSIMA PATRIÆ MATRE cohabitare. Fœcunda quippe mater  
esse solet genuina pietas Virtutum omnium: quia procreat  
eas & nutrit. Tollatur à Virtute pietas, & sua sponte eva-  
nuit virtus; Neque evanescit vera virtus, nisi prius evanuit  
pietas. Nolite gloriari gentiles & jactare Heroës vestros.  
Non enim virtutem, sed umbram virtutis possederunt:  
quia veri Dei notitia & vera pietas eos destituit. Arbor  
fertilis est pietas, quæ virtutes ceu fructus preciosissimos  
copiosè protrudit: Arbore deficiente nusquam existunt  
fructus, pietate deficiente, nusquam existit virtus. Optat  
pietas semper agere, quæ Deum velle constat, omittere,  
quæ



quæ ei displicere : Nil displicet Deo, nisi virtuti opposi-  
tum vitium; Nil placet Deo, nisi vitio opposita virtus: Dum  
ergo pietas ubicunque agere gestit, quæ Deus amat, omit-  
tere, quæ odit, certè virtutum omnium mater & nutrix ju-  
re nuncupabitur. Laudent nunc *Æmiliam* suam Genti-  
les, & prædicent futilem pietatem illius; jactent *liberalita-  
tem* *Busæ*, ad astra extollant mansuetudinem *Liviae*, miren-  
tur fidem conjugalem in *Julia & Portia*: Unam SERENISSIMAM  
CONJUGEM TUAM, SERENISSIME PRINCEPS, hisce muliebrium  
Virtutum nominibus opponemus, & protinus obmute-  
scent, quia intelligent, ipsum virtutis fontem, hoc est, genui-  
nam pietatem in hac SORABORUM DEA reperiri. Gaude  
nunc & exulta universa Patria. Nam beneficio Dei Eam nata es  
Principem, quæ memor erit perpetuo, se non modo ad Serenissimæ  
Principis Anhaltinæ nomen & jus; sed etiam ad beneficentissimæ  
omnium Subditorum, quorum Princeps Pater est, Matris munus,  
per hoc matrimonium à Deo vocatam: quæ proinde materno af-  
fectu ac benevolentia pios Subditos omnes complectetur: Cui  
gaudium erit, quies nostra; Cui suave lucrum erit, si nesciamus in-  
commodum: Hæc enim omnia pollicetur nobis, quod in Serenis-  
sima Principe ac Domina nostra Clementissima reperitur pietate  
ac probitate condecoratum pectus: Ab hoc ceu copioso peren-  
nique fonte dulcissimi Virtutum rivuli ubertim dimanabunt: Senti-  
es hinc SERENISSIME PRINCEPS, ad Serenitatem tuam defluere  
castissimum amorem, in adversis solatium, lætitiæ augmentum in  
prosperis; Si lætaberis, læta erit & illa; Si tristis fueris, blandilo-  
quio suo dolorem edulcabit, fidissima in omni fortuna comes: Sen-  
tiemus hinc omnes Subditi benevolentiam erga nos prorsus mater-  
nam, qua SERENISSIMA HÆC MATER PATRIÆ, erga timidos futura est  
C 2 comis



comis & humana , erga supplices mansueta , erga miseros  
atque egenos liberalis. Utinam, utinam nunc reviviscant  
Serenissimi Majores vestri Omnes, ut felicissimam hanc di-  
gnissimi Principis cum Principe dignissima Conjunctio-  
nem coram intuerentur. Qui profecto si reviviscerent, li-  
benter adessent thalamo vestro ac nuptiis vestris læti gra-  
tularentur. Adesse videres, SERENISSIME PRINCEPS, retro  
Tibi à capite innumeros ex Serenissima Anhaltina prosa-  
pia Heroës : quia ab his optimus nobis Princeps prodiisti;  
Adesse videres ad pedes, CONJUGIS TUÆ SERENISSIMÆ Majores poten-  
tissimos: quia fausto hoc connubio ad eos accedis propius. Claude-  
re tandem conspiceres tori vestri latus dextrum Serenissimos Hol-  
satiæ Duces ; Lævum Illustrissimos Comites Oldenburgenses;  
quia ab his BEATISSIMUS PATER TUUS ; Ab illis TUA SERENITAS genus  
maternum repetit: Cunctos verò cerneres votis unitis prospera  
omnia & felicia precari. Quia enim per omnem vitam suam hoc  
sibi unum exoptarunt, ut excelsum ac Serenissimum Genus suum  
in posteris, etiam post centum secula floreret, eos sanè existiman-  
dum non est, sine profundiore lætitiâ aspecturos esse singularem il-  
lam Numinis benignitatem, qua vos SERENISSIMOS POSTEROS SUOS in  
hunc usque diem prosequitur ? Velim autem ignoscas, SERENIS-  
SIME PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME, si ex reverentia  
humili, excelsissima hæc stemmata generatim modo attingo, si di-  
stincte non recenseo infinitos illos Principes, quos per tot secula  
procrearunt. Vetat modestia, ut ne faciam, cum dies me deficeret, si  
à BERTHOBALDIS aut BERTHOLDIS, HARCINIÆ, BALLENSTEDII  
& ASCANIÆ DOMINIS, DUCIBUS SAXONUM adhuc post mille  
annos celebratissimis, SERENITATIS TUÆ excelsam stirpem repetere,  
ac per innumera, quæ mundo pepererunt decora, usq; ad Serenita-  
tis



tis tuæ DIVUM PARENTEM ire vellem ; Si deinde  
CONJUGIS TUÆ SERENISSIMÆ profapiam distinctius contemplari  
atque à REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO SOCERO TUO ad FRIDERI-  
CUM I. Saxoniae Electorem usque & ulterius ascendere ;  
Si etiam ex SERENISSIMIS DOMIBUS Holsatiae Ducum & Comi-  
tum Oldenburgensium toti mundo oborta lumina coram  
fistere ; aut encomia , imagines ac merita illorum omnium  
accumulare : Quibus dignè enarrandis non hora suffice-  
ret aut dies aut hebdomas ; sed integer annus infumendus  
foret. Liceat ergo mihi tot tamque excelsa nomina ac nu-  
mina modestè jam præterire ; Liceat mihi ab his animum  
atque oculos convertere ad SERENISSIMA ILLA DECORA, quæ con-  
stat Nuptias vestras venerabili & sacra præsentia sua sere-  
niores effecisse : Horum liceat devotas gratulationes &  
piissima vota alto jam silentio auscultare , ut eadem sincero  
& candido pectore imitemur. Illi enim SERENISSIMI COGNATI  
omnes devotis animis adhuc adsunt thalamo vestro, felicia  
ac prospera, quæ vobis evenire velint, sollicitè enumerant :  
ut Deus gratiosè efficiat, calidis desideriis exoptant : ut for-  
tunatum sit conjugium, ut tranquillum, ut diuturnum, ut  
sobolem proferat magnanimitate, prudentiâ ac pietate in-  
structam, precantur singuli : Precatur hæc Reverendis-  
simus atque Serenissimus SOCER GENERO, Serenif-  
sima MATER FILIO, Serenissimi ac fortissimi HEROES  
FRATRES unâ cum Serenissima SORORE FRATRI, Sere-  
nissimi AFFINES AFFINI, ut piissimè conspirent in vo-  
ta & gratulationes Serenissimi Cognati atq; Amici omnes:  
D preca-



Precamur hæc eadem Serenitati Tuæ, PRINCIPI AC DOMINO NO-  
STRO CLEMENTISSIMO, *Nos, tui obsequiosissimi Subditi*, uno ore  
& animo acclamamus omnes : Sit faustum Serenissimi  
Principis ac Domini nostri Conjugium ! Sit diuturnum !  
Sit felix perpetuò ! Condecoretur omni benedictione spi-  
rituali & corporali ! Didicimus nempe omnem felicitatem  
Subjectorum dependere à felicitate Dominantium : Quod  
enim corpori caput est, id bonus Princeps Subditis. Vivunt  
& vigent membra corporis, sed vigorem omnem accipiunt  
à Capite ; Vigent item Subditi ac prosperitate gaudent, sed  
quam communicatam habent à Principe ; Si Princeps uti-  
tur rebus secundis, iis simul utuntur Subditi ; Si adversis ex-  
agitatur, exagitantur una & Subditi : Ita omnis fortuna  
Subditorum tam prospera quam adversa fluit à fortunâ  
Principis : Meritò igitur vota Subditorum omnium jam  
consonant, omnium suspiria indefesso studio precantur,  
ut Sapientissimus rerum omnium Director hæc Serenissi-  
mas Nuptias flectere vertereq; dignetur in Numinis ac No-  
minis sui gloriam, in salutem piorum ac prosperitatem o-  
mnium. *Ædificentur sub alis vestris muri Hierosolymo-  
rum, quales sunt, Verus Dei cultus & sincera Justitia : Hæc  
forum spectat & Societatem Civilem, quam muri instar  
cingere consuevit ; Ille Tempia & Ecclesiam & Scholas : Hi,  
inquam, muri ædificentur, reparentur salviq; & incolumes  
sub clypeo SERENITATIS TUÆ ET AMABILISSIMÆ CONJUGIS TUÆ con-  
serventur perpetuò. Quamdiu muri illi apud Rempubl.  
farti & incolumes perdurant, intra eos salvi esse consueve-  
runt*



runt Principes ac Reges, salva item Respublica. Sic hos intra muros tuti fuerunt atque incolumes, laudatissimi Judæorum Reges JOSAPHATUS, EZECHIAS, DAVID. De JOSIA Israëliitarum Rege ipse Deus perhibet, Benè ei fuisse, quia jus & justitiam constanter exercuerit, hoc est, quia hos purioris cultus & justitiæ muros studiosè ædificaverit, intraque eos commoratus sit assiduè: Hi ergo muri sub præsidio vestro durent perpetuò, ut VESTRIS quoq; SERENITATIBUS intra eos benè sit, ut constanti felicitate fruamini. Sit Serenissimum Patriæ decus par Salomoni sapientia; Marco Crasso divitiis; Polycrati rerum omnium prosperitate. De hoc Polycrate produnt Historiarum Scriptores, cum post continuam felicitatis usuram, quam nullius infortunii mixtura unquam turbaverat, tandem explorare vellet ad unum saltim alterumve momentum, quo animo futurus esset in rebus adversis, abjecisse illum in mare preciosissimum Smaragdum; Sed eundem recepisse opinionem celerius: Ut ne sic quidem infortunii ullius casum experiri potuerit. Similis felicitas comitetur Serenissimam Domum tuam; Sed quæ in eò dissentiat à felicitate Polycratis, ut vestram nulla excipiat infelicitas, ut vestra nullum unquam calamitatis ictum sentiat, nullam experiatur adversitatem. Cum Deus olim Davidi ac femini ejus, præcipuè spirituali, favoris sui constantiam vellet obstringere, in hæc verba erumpebat: Sicut luna stabilietur in seculum & testis in cœlo fidelis. Testem hunc in Cœlo nonnulli Scripturæ Interpretes Iridem esse dicunt; quia à temporibus Noachi in hanc usque ætatem testatur constantiam divini illius pacti ac fœderis, quo genus humanum aliis diluvii metu gratiosè liberatum est. Quamdiu testis hic in nubibus & luna in Cœlo conspicietur, etiam prosperitate ac rebus utamini secundis! Sit SERENISSIMA

D 2

PATRIÆ

J X I D



PATRIÆ MATER similis generosissimæ viti, quæ palmites emit-  
 tat altitudine Cedro, & Platano amplitudine similes, sub  
 quarum umbra posterius olim delitebant securi. Longè absit  
 à SERENISSIMO TORO vestro omne malum aut quod  
 gaudia vestra ullâ ratione turbare possit : Affluat bonis  
 omnibus, quæ connubii hujus felicitatem multis modis au-  
 gere. Pellat à SERENITATIBUS VESTRIS valetudinem  
 adversam constans sanitas, discordiam concordia, mortem  
 præmaturam ætas Nestorea ; Comitetur ubique SERENI-  
 TATES VESTRAS ET SERENISSIMOS CONSANGUINEOS VESTROS omnes, divi-  
 na Gratia, quæ vos regat ; Divina potentia, quæ vos tegat ; Divina  
 benignitas, quæ vobis beneficiat. Præsideat SERENITATI TUÆ in  
 Regimine spiritus sapientiæ & roboris ; In Religione, fidei ac pre-  
 cum ; In omni vita, Christianæ dilectionis. Condecoretur  
 thalamus vester benedicta sobole, quam Deus diligat, cuiq;  
 beneficiat, sicut Salomoni ; Condecoretur tota Illustris  
 ditio vestra pace, tranquillitate publica & larga Dei bene-  
 dictione. TU verò, SUMME DEUS ET OMNIPOTENS RERUM  
 OMNIUM DOMINE, per Filium tuum dilectum, Dominum & Ser-  
 vatores nostrum Jesum Christum, gratiosè imple, quæ nos piè pre-  
 cati sumus. Fac, ut SERENISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS NOSTER CLE-  
 MENTISSIMUS cum SERENISSIMA CONJUGE constanter valeant & animo  
 & corpore ; Largire eis perpetuò sanctum tuum Spiritum, qui eos  
 regat, dirigat & in omnem veritatem, pietatem ac justitiam dedu-  
 cat, quò integrum nobis sit, sub alis HUIUS UNCTI TUI vitam nostram  
 in pace ac tranquillitate animi cum omni honestate ac pietate trans-  
 igere, donec olim post Nestoris annos hunc SERENISSIMUM PRINCEPEM  
 nostrum cum PRINCIPE SERENISSIMA ex aula terrestri & caduca in cœle-  
 stem ac immutabilem omnesque pios Subditos cum illis gratiosè  
 transferas.

D I X I.





Untertänigster

# Freuden = Schall

Welcher

In

Dem gesamten

Hoch = Fürstl. Anhaltischen

# Gymnasio

Vor-und nach der

Untertänigst = Glückwünschenden

# Oration,

By

Einer Wohl-lautenden

Music,

Sich hören lassen.



K

Pollo schärffe deine Sinnen /  
Und öffne deinen Witz /  
Die Krohn der Teutschen Herzoginnen  
Nimt bei uns Ihren Siz.  
Zerbst / sihe deinen Fürsten reiten /  
Und ruffe jauchzend zu von weiten :  
Komt / eilet / verknüpfete Fürstliche Herzen /  
Es weiche was Fürstlichen Seelen kan schmer-  
zen.

E

Nim



2.  
Nim/theurer Fürst / mit hoher Güte  
Diß Demuths-Opfer hin /  
Sieh' an mit Gnädigem Gemüthe  
Den unsrer Musen Sinn/  
Die durch/ zwar schlechte/ Lieder Weisen  
Des Landes-Fürsten Einzug preisen /  
Und wünschen: Sey ewig/ O Fürste/ beglückt  
Von Fürstin SOPHIEN im Lieben erquicket.

3.  
Weg Jason, lasse dich verlachen  
Mit deinem güldnen Fliß/  
Und was Dir Blinden mehr vor Sachen  
Die Ehren-Sucht einbließ.  
Ein frommes Mah-Herz bestehet/  
Wann auch die Welt in trümmern gehet:  
Drum Vivat CARL WILHELM ein Spiegel der Tugend  
Mit Fürstin SOPHIEN der Zierde der Jugend.

4.  
Ein Herz das ganz der Welt entzogen  
Sich Himmel-an stets schwingt /  
Und durch viel trübe Wolken-Wogen  
Zu seinem Schöpffer dringt/  
Dem werden Gaben beigeleget  
Die Gott nur vor die Seinen heget.  
Die hat nun der Fürste des Landes erlanget  
Worinnen die Fürstliche Seele hoch pranget.

5.  
Was fest auf diesem Fels gegründet/  
Ist vor Zerrüttung frei/  
Die Herzen/so der Himmel bindet /  
Schlägt keine Macht entzwei:  
Drum/ Fürstin/ kom/vom tapffern Sachsen/  
Durch Dich soll unser Anhalt wachsen.  
Der Beide hat wollen durch Liebe verbinden/  
Der lasse/was schadet/von beiden verschwinden.

6.  
Die Saale spricht mit linden sausen  
Fahr' wohl/Princessin/ fahr'  
Der Elbstrom ruft mit stolzen brausen  
Willkommen/ Fürsten-Paar/  
Fahrt über meiner Wellen Rücken/  
Seht/ wie sich die Soraber bücken/  
Wie Städte/wie Felder und Wälder sich neigen/  
Euch Fürsten die schuldige Demuth zu zeigen.

Abson.



7.

Absonderlich muß auch nicht schweigen  
 Der Inhalts Helicon,  
 Läßt seinen Wunsch zum Wolken steigen  
 Daß/ Grosser Fürsten-Sohn  
 Und Fürstin/ Euch der Himmel segne /  
 Das nichts / als Wohlsein auf Euch regne/  
 Diß Wünschen muß' immer so lange bestehen/  
 Als Tropffen im Saalen- und Elbestrohm gehen.



Turgida vernabat molli cum gramine tellus  
 Umbrosasq; comas tendebat in æthera quercus  
 Tunc, cum Saxos<sup>i</sup> trajectis Albidos undis  
 Saxoniam, quam Sala rigat, pervenit ad oram  
 Inclutus Ascanides, dignoq; exceptus honore.  
 Vix aliquot lætas gaudens transegerat horas  
 Cum nato Cytherea suo sic callida fatur:  
 Est Divûm in terris proles, cui Numina curæ,  
 Et quæ grata polo & magna venerabilis orbi,  
 Nomine Sophiam signant Carolin<sup>q;</sup> V Vilhelmum  
 Saxonum & Ascanidum venerandis stirpibus ortos.  
 Pelle moras, & mitte sacras in pectora flammæ,  
 Æterno socians illustria pectora vinclo.  
 Hæc Venus: Ast natus matris mandata secutus,  
 Statim adamantæis constrinxit pectora nodis.  
 Sacros accendens castis in cordibus ignes.  
 Audit id Arcadius Volucer, subitoq; per astra  
 Ad loca sacra venit, venerandi habitacula Phæbi,  
 Cunctaq; mox raptim, mox ordine singula narrat.  
 Ast ille obstupuit placidâ dulcedine captus,  
 Et grato exsultant salientia pectora motu.  
 Mirantur dulces sacrâ cum Pallade Musæ,  
 Officiiq; sui memores mox talia cantant,

## Apollo.

Præcelsa divûm progenies Virûm  
 V Vilhelme Princeps, Dux bone Patriæ,  
 Quem vota cunctorum, precesq;  
 Huc revocant, Pie, Vive felix.

E 2

Pallas.



## Pallas.

**T**Uq; orta Divum Sanguine *Saxonum*  
*Sophia* Princeps, Quam pietas sacra  
Et mens juvat Divina, *Vive*  
Nestoreos Pia, *Vive* in annos.

## Musarum chorus.

Longum *Sereni*, vivite *Principes!*  
Seros *Nepotes* cernite perpetim!  
Jo! *Carolus* vivat, *Wilhelmus*  
Plaudite ! *Vive Sophia* Princeps!





THEOD. CHRIST. RAVMERI P.P.

ΔΡΑΜΑΤΙΚΟΝ VOTIVVM.



לעיני הארם ערכה

אשמש בבקר התערבות מחלך

מאירת השמים ער-קצרחם

ומלבושת כל הארץ יפותם :

המבטח אשרי שרה לשבע יולך

וירכה עשרו לברכה :

משחק צפור מקולו

יולך את נועם מבין עפאים כשורים :

כשחר הנצנים רעננים

ושמח כל-עץ-יער ביגנים :

ממתקים נראו לראות כאפי בכורים :

כמופת ביום אהבתו :

ומאז יהי השכים איש בתשכריצ הכירת ארץ טלחנא

אמינטון שמו נורע בשיבתו אבל אשר הצעיר בבית מוריו

האיש ההוא צופיה חליכות יהוה אל שרי שערים ירד לרעות

שמה נפשו וללקוט בצבתים את שרים משכילים

ומספרים בתרועה את גאון שלומינו אשר אם פרו

מגרים לנו אלהים נתן כבנחלהנו אשר אף הרבות הרכה

בשעשעינו לערתו חסידו : וסלקא עתה ברעהה וכמעט

הולך יסרושכ אל ערכי-נחל לרחב אתתהלה לאלהינו

בלשונו אם לא לבר מהאותו לאזניו קרב רנת עגלות

מתקע לשופר שכלם לו בלבו כמר ואימת בעצמותיו :

דק



לכן בפתע לראתו את הגברים ממגדודי מלמדיו  
 מלחמה ואותם פזעזעי אזניו בצאתם לרחכות קרב  
 ולרדף אויביו ונוראות לעת הרעה נפלו על אמינטון  
 מחוללות אותו בקרבו ונהפכה שמחת שיחו לספר למען  
 באנחת פיהו ישחה זאת תפלת תאותו :

עד מתי תתן לסוט לישורים	וימוסה
עד מתי אנשי רמים יגורו	למזמה :
ארני עברו כדרך עזב	צדיקים :
להשקוט לתמימים לא יום נעזב	סדלקים :
לשום רב מרוך לא יגיעי מ---	שכנינו :
בחרבות ובבו דרשו אשריו	צריז :
בנחלת אחינו משלו זרי	הנכרים
ואלו ישיגנו תן ימלא עת	המגדודים
והשבנו שלות וברכת שלום ככל	ארצנו :
ואנחנו חטאנו אך אין טובים	מסביבות
כיאם לא נפלנו כי לא כלו	חרצבות
וכוסרות אהבה לא נתקו כאשר	נשמכנו :
יהוה בצל כנפי עזרתך	גסתרנו :
ומשרד במעון קרב אלינו לא	יקרב
אתה אל בורח אהבי חרב	כמארב :
מנוססים שרינו יצאו הם מ---	צבאותיו
להובלנו עיר מצור מצור ב---	צדקותיו :
ואיך מי ותן ובוסו פתאם באף	צריפו :
ויבוש אלינו בשלום שלוח בכל	ארצנו :



בתפלתה חדל לדבר הלשון לאמונטון בשמעו את בת  
קול הקוראה באמר אלו: אך קרוב ליראיו השועה לשכן  
כבוד בארצנו: גמיהוה יתן הטוב ובארצנו יבולה: כי גכר  
עלינו חסרו הללויה:

ויען אמינ טון ויאמר: אמנם ידעתי כיכן ואלה אמרותיך  
אשר לא גמרו: והנה בחשבני ימי שנותינו אך אזכרהו כי כל  
רהב אדם כציצת עם עמל כבקר אחר ומאחריה לא עוד זאין:  
ואל נאכרה עם בשעים העכר יהוה העת אפך ועתה תשובנה  
ברכות שלומך: בשלומך יבאנו חסרך וטובת הטובה:

ותען בת קול מן השמים ותאמר: אם תוכל לספר אשר  
נבאה הרוח בספר תליסונא שמעתם גם תבין ומלתה תמלא:  
שא נא עיניך ושור שחקים ותקרא עוד באמונתך שמה כמה  
שיהיה: וירא אמונטון כרמות אשר מראה במכתבה ומספרו

קארל נוילהילם הטפסר בארץ אנהלט יצא כהתן  
מחפתו יפלא להסכן כגבור בעמו:

ויצעק קול באמר: קום ובוא מהרה ביתך ונדרוך ליהוה  
שלם לשאל שפט שלוה ולגוח זה על פאות בארמנות  
אנהלט: וחוגג ברנתו אמינטון הודה: לו אלה רדים  
יבערו כמו אש ינצח ובשמותם ישיט את מלא ברכת  
ממגר תכואת שמש וירח: אבל אנכי בנחמתי אחאמצני  
ושפתי יקימו כמנגעת הגיון על הם ימי המועד אשר  
לא יגאלו חשכים ולא יראו מסעי יתרם לעולם:

\* \*

\*



FK 469

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

40

1077





Q. 15, 25

For 20.

Xb  
464

x 2002 486

ORATIO SOLENNIS,  
In  
NUPTIAS

SERENISSIMI ATQUE CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CAROLI



MI,

Principis

et Ascania,  
Jevera &

SERENISS

SIMI:

TIPE AC DOMINA,

DN

HIA,

Ducissa Sa

ac Montium;

Thuringia ite  
chionissa, Co

triusq; Lusaria Mar-  
nsburgi & Barbya;

Domin

, Kniphufii &

DOMINA

EMENTISSIMA,

Nom

Gymnasii



DN. C  
Principis A

MINI,  
DERICI,  
cundo-geniti,

JOHANNES FRIDERICO VVERCKMEISTERO,  
Oratoria PP.

SERVESTÆ, Prælo BEZELIANO.

19.